

conuerti uoluerunt ab omni
recte sua. Habent cer
uisti & se iuri medicina
te praesentant. ut nihil
fuis meritis tribuan
re depurantes. de his in
timelibus uicis estantia
nullis qd de talibus a re
im sui de uirtute inur
doloru in sibi or. Nihil
numo id est in sca script
alio necessarii si quis
eq. quicquid qd nomum
tut. Tu aut neglegre
im alius in nulla sua.
omne sua; Omnia in

tanti ad sustentatione huius pre
sentis pntent uicis: qd e mundi
delectatio quicqz in massi parat qd po,
Vnde dicitur; At illi nec dixer. & abier
aluis in nulla sua aluis ad negotiatio
ne sua; In nulla re e. In terrene
inmoderate inuimbere. In negotia
tione uero re e. ad honi uero tenu
lupum lucis in hiate; Quia enim
aluis in tentus labor terrene. aluis
uero mundi huius ad honib; delectus
mysteria incarnationis dominice
pensare & sectin illu uiuere diffinu
lat quasi actuali uel negotium p
gens. uenire ad regis in ptaf recusat
I. Plerumq; quod e gratia in nulli
uocant in am mouit. pium
fai etiam in fecerit; Vnde et in libell.

Medic...

peracti
um opera

in quibus
et in quibus

33



Continetur hoc Volumini
DUNCAN LIDDELL SCOTT

Disputationes,

Theses Logicae

Propositiones Astronomicae de diebus & Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq; Instrumentis.

In III. Meteororum de Nisi generatione Disp. I.

In III. Meteororum de Concoctione Disp. II.

Dissp. Pathologicae, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Dissp. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura & Facultatib. medicamentorum.

De Compositione & Preparacione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib., Scarificatione &

de Febris Natura & disp. I.

de Febris II.

de Febris III.



Disputatio Medica

DE CATARRHO,
IN ACADEMIA IVLIA

ad disputandum pro-
posita,

à

Clarissimo viro,

ADAMO LVCHTENIO MEDI-
CINAE ET PHILOSOPHIAE DO-
ctore & professore,

Ad quam publicè respondebit

CASPARVS CALVIVS HAVEL-
bergensis Marchicus.

Ad diem 16. Aprilis,

In auditorio maiori. h. 6.



HELMÆSTADII,

Excudebat Iacobus Lucius.

Anno MD. CIII.

*Humanissimo vobiscum
viro Dni Arnoldo
Egelvort fidei suo
casiano p*



MAGNIFICIS, NO-
BILISSIMIS, DOCTISSIMIS-

que viris iuuenibus,

DN. DIDERICO ET

DN. CASPARO à Klibing/ fratribus

germanis, hæredibus in Walsleue/ Dommertin/

Rosenwinckel etc. fautoribus

meis colendis.



Vam varij illudant morbi morta-
libus; illis

Per caput atque latus saliant velut
agmine facto:

Quæ portenta homini decoctrix proferat ætas,

Ætas vergentis mundi vicina senectæ:

Dum sapiens animo reputat, coniurat amice

Quantum est naturæ peioris, farier inquit.

Non tamen in lachrymas is soluitur Heracliti,

Aut risum Abderæ laudat. Quin semina rerum

Mens animi & varias mortis perquirere causas

Incipit, & ridere potest discrimina tanta,

Nere-

Nereaq; è terra tuto spectare furentem.
 Vos testes laudo KLITZINGI sidera gentis
 Et generis vestri: vos nobilitatis ocellos:
 An verò quod vos vultu fortuna benigno
 Aspexit, nunquam vobis hæc læua videtur?
 Nonne alia ex alia febris, pituita molesta est?
 Ergo cum pridem vobis inscribere coner
 Quale hoc cunq; mei monimentum & pignus
 amoris,

Quæ vis, quæ natura fiet, quæ causa catarrhi,
 Inspicite, atq; huius quicquid sit sumite opellæ
 Ponentes animo precium menti; dicantis.
 Viuite felices: VOTORVM HAEC SVMMA
 MEORVM EST.

Hanc disputationem

Offero & dedico

Casparus Caluius.

A 2

THE-





THESIS I.



Ominum generi valde familiare & frequens malum catarrhus est, quod Aristoteles inde euenire existimauit, quod homo quam reliqua animalia, caput proportione grandius, & humidius habeat, idq; in sublimi, & erectum. Vix enim quisquam omnium est, qui catharri molestias, & tadia non sit expertus.

2. Quare imprimis eius cognitio necessaria est, tum ut imminetentem praecauere, & auertere, tum ut iam infestantem propellere, & maturè abigere possimus.
3. Cum autem tria sint quae praeter naturam homini accidunt morbus, eius causa, & symptoma, primum in quo rerum praeternaturalium genere contineatur, non est ignorandum.
4. Dicitur igitur vulgo catarrhus, fluxio praeter naturam materiae pituitosa, à capite ad partes subiectas descendens.
5. Nomine enim catarrhi omnem à capite ad quamcung; partem inferiorem fluxionem accipimus. Quanquam verò Galenus lib. 3. de Symptomatum causis cap. 4. eam tantum fluxionem catarrhum nominet, qua materia in os fertur, idq; alij ita fieri omninò oportere contendunt; tamen quia Hippoc. lib. de glandulis, morbo sacro, & alibi passim, itemq; Aristoteles, non uno in loco, catarrhum pro quavis à capite fluxione, quod & ipsum Galenus 3. Aphor. comm. duodecimo aperè confitetur, vsurpet, nihil absurdi esse existimamus, si horum exemplo vocabulum aliquanto latiori significato, ad omnes capitis fluxiones accomodemus, praesertim cum vocis origo huc optimè quadrare videatur. Alio nomine etiam *καταρρυδς*, Hippoc. verò & Aristoteli familiariter *ρεομα* appellatur, quod vocabulum barbari Medici retinuerunt.
6. Essentia igitur catarrhi in agitatione, seu motione humorum consistit, estq; Symptoma in excrementis cerebri à natura modo & lege receden-

recedentibus, interdum quo ad quantitatem, sæpe quo ad qualitatem, nonnunquam etiam quo ad modum excretionis.

7. Cerebrum enim cum mole magnum sit, multo quoque nutrimento indiget, quod cum penitus in nutriti substantiam conuerti non possit, quod nonnullas partes adhuc dissimiles habeat, ut in alijs partibus omnibus, ita hinc quoque excrementa nonnulla reliqua fieri necessum est, quæ vel per insensilem transpirationem exhalent, vel per destinata foramina defluant, quæ tamen eorum euacuatio cum natura legibus perficiatur, catarrhus nondum dicitur, sed tum demum cum natura limites egreditur.

8. Natura autem legibus tum perficitur, quando & facultas robusta, & vegeta, commoda temperie vititur, & alimentum quoque probum, laudabile, debita quantitate, & mensura ei offertur, si verò vel facultas imbecilla sit, vel alimentum vitiosum, aut immodicum, aut denique externus aliquis error committatur, natura modum excedit.

9. Vnde manifestum euadit catarrhum, siue symptoma in excrementis cerebri, principaliter & precipue à læsa facultate cerebri nutriente pronenire, siue illa per se, siue per accidens afficiatur. Nam perinde se habet catarrhus ad cerebrum, ac diarrhœa ad ventriculum affectum. Læsa enim vis nutriens magnam excrementorum copiam congregat, quæ deinde suis causis commota fluxionem quoquo-versum excitat, cui pro diuersa, ad quam tendit parte, diuersa quoque nomina artifices imposuerunt.

10. Galenus enim lib. 3. de symptomatum causis cap. 4. eam quæ ad nares ῥῆουλον, grauedinem, quæ ad os catarrhum, quæ ad fauces βρογχον, siue raucedinem, quæ ad gargareonem, καὶ φωνήν, vuulam, quæ ad glandulas, & partes vicinas, ἀρτιάδας, & παριδύια id est, tonsillas vocat. Quæ ad pulmones defluit, βήχην, siue tussis etiam appellari solet.

11. Atqui verò vocabula ista, & si quæ alia sunt, diuersas, & peculiare catarrhi species & differentias, non exprimunt, cum nec excrementi, nec motionis, (in qua catarrhi essentiam posuimus) diuer-



sam naturam, aut formam indicent, sed sunt nouorum affectuum, ex catarrho tanquam causa prouenientium, appellationes.

12. Non enim solum in has quas diximus, sed etiam in alias partes catarrhus decumbit, & quam plurimorum malorum origo est. Nam non minus crebro in oculos, maxillas, dentes, pulmones, & pleuram influens, aegros miserè affligit. In neruorum quoque origines irruens apoplexiam, paralytin, stuporem, & tremorem infert. Aliquando in ventriculum incidens, eius vim concoctricem debilitat, & diarrhoeam aut dyssenteriam producit, saepe etiam in spinam dorsu, cor, renes, & alias partes, longis ambagibus delabitur, interdum etiam in venas, & arterias incidit, variorumque morborum, & symptomatum genera producit, ut nullus ferè corporis affectus sit, quin à catarrho produci, aut foueri possit, ita ut etiam extiterint, qui omnem morbum catarrhum dicere non dubitarunt.

13. Materia catarrhi pituitosa, & aquea est, unde Hippocr. & eum secutus Aristoteles destillationem à cerebro, simpliciter pituitam, & pituita fluxionem appellare consuevit.

14. Cerebrum enim cum membrum sit natura frigidum & humidum, ita ut instar concretæ pituitæ cuiusdam esse videri possit, à veteribus etiam inter medullas ob id relatum sit, ab Hippocr. verò etiam corpus glandulis adeò simile esse dicatur, ut parum ab earum natura abesse videatur, verisimile omnino est, simili quoque nutrimento gaudere, & similia excrementa producere.

15. Si verò vel propter colorem, vel acrimoniam humoris destillantis, quispiam contendere velit, de reliquis humoribus quoque nonnihil interdum admisceri, id ut non valde negamus, ita tamen parum id esse arbitramur, & contrahi ista quoque longiore mora, & ulteriore coctione, interdum etiam vaporibus ex reliquis humorum speciebus elatis & admixtis, ut in febribus perspicuum est, existimamus.

16. Cause efficientes catarrhi quamplurimæ sunt, varioque ordine, & serie recenseri solent, minimum tamen nos hallucinari, vel turbari, vel multitudinis obrui continget, si primum eas que materiam

catarr-

catarrhi generant, deinde quæ generatam ad fluxum concitant, seorsim consideraverimus.

17. Itaque cum excrementi vitium semper actionem aliquam vitiatam, siue id per se, siue per accidens fiat, presupponat materia quoque catarrhalis prouentum ex lesa aliqua actione prouenire, non est dubium, eam autem facultatem nutrientem, & præcipuè vim concoctricem esse, etiam antea diximus.

18. Quare quot modis eam ladi contingit, ita ut excrementorum fiat prouentus, totidem quoque materiam catarrho suppeditari verisimile est.

19. Leditur autem vel per se, & propriè, vel per consensum.

20. Propriè leditur cerebri intemperie, quacumque ea fuerit, (sicci-
tate excepta) maximè tamen frigida. Nam cum calor natiuus pro-
ba concoctionis autor sit, ei contrarium frigus illam cum primis impe-
dire non est dubium, maximè si coniungatur illi humiditas.

21. Frigidum enim ut cruditatis causa est, ita quoque in cerebro
excrementorum copiam coaceruat, quam humiditas, quæ ipsa quoque
per se hoc prestare potest, non parum adiuvat, & ut excrementum
humiditate redundet, efficit: cuius enim nature causa est; ei quoque
consimilem effectum consequi necessum est.

22. Huius rei veritas ex eo manifesta est, quod qui frigidioris &
humidioris complexionis sunt, eos præcipuè redundare excrementis,
& catarrhis obnoxios esse appareat, ut in pueris propter humiditatem
videre licet, in senibus vero propter frigiditatem; Omnes enim illi
perpetua pituita attentari consueverunt.

23. Accedit huc regio consimilis, anni tempus frigidum, & hu-
midum, constitutio aeris borea, austrina & pluuiosa, Venus immo-
dica, quies & somnus nimius. Hac enim omnia & materiam catat-
rho gignunt & frigiditatem humiditatemque, tum seorsim tum con-
iunctim augent.

24. Calida intemperies non eo tantum nomine obest, quod coctio-
nem impediatur, sed etiam quod cerebrum dilaret & rarefaciat, ita ut
non

non tantum frigus promptius subire possit, sed etiam quicquid ad cerebrum deferitur, facilius acceptetur: Vis enim resistendi, & facultatum robur, in constrictione potius, quam relaxatione viget. Præterea calor fortiter attrahit quicquid vaporosi ex reliquo corpore sese attollit.

25. Quod de simplicibus intemperiebus dictum est, idem de compositis quoque intelligendum est, omninoque statuendum quod frigida, quod calida, quod humida intemperies efficit, idem coniunctas quoque calidam & humidam, frigidam & humidam, efficere posse, sed aliam magis, aliam minus.

26. Vnicuique autem intemperiei semper consimilis ætas, anni tempus, regio, aeris constitutio & victus facultate correspondet, & in eundem effectum conspirat.

27. Petrus Salius & cum eo nonnulli alij arbitrantur siccitatem quoque catarrhum producere posse, eò quod coctionem lædat, eiusque rei inditium esse quod in senibus qui temperamento sicci sunt, magnus tamen excrementorum prouentus sit. Qui tamen in eo fallitur, quod in senibus id siccitati ascribat, quod frigori potissimum debebatur.

28. Nec quod de coctione læsa prætendit, ipsum multum inuare potest: eam enim à siccitate lædi non inficiamur, sed quamcumque, & quomodocumque læsam coctionem catarrhi causam esse non concedimus, sed eam tantum quæ excrementorum pituitosorum copiam coaceruat. (non enim catarrhus primi, sed secundi generis Symptoma est in excretis consistens) hoc autem siccitas sola præstare non potest.

29. Per consensum læditur quoties inferiora viscera insigni aliqua intemperie tenentur, (siccitatem semper excipio) præsertim si ea à cerebri constitutione sit diuersa, fieri enim non potest quin diuersa, vel contraria temperatura se inuicem in suis operationibus multum impediunt.

30. Imprimis verò proueniunt illi in catarrhum, qui frigido ventriculo, epatis constitutionem nacti sunt calidiorem; cruditates enim in ventriculo collectas, extraneus iecoris calor in vapores resoluit, qui in cerebrum sublatis eius frigore condensantur, & condensati iterum
deci-

decidunt. Vnde Aristoteles lib. 2. de part. animalium cap. 7. pituita eam fluxionem imbrum generationi, quo ad paruum cum magno comparare licet, similem facit. Auicenna etiam non incommode eam cum destillatione, qua per alembicum fit comparauit.

31. Huc pertinere videntur nimia ingluuies, crapula, & cibi vaporosi. Hac enim, & si qua alia eiusmodi sunt, cerebrum etiam ex se sanum, copia humorum pragrauare, & catarrho materiam suppeditare solent.

32. Haec igitur causa, & si quid porro his quoque, ut sint, causa est, (longa enim saepe serie, & nexu inter se coherere solent) materiam catarrhi producunt, sequitur, ut quamquam causa materiam iam collectam, & coaceruatam, ad fluendum commouent, consideremus.

33. Humor igitur collectus copia & mole auctus, interdum sua grauitate & pondere incitatus, sponte decidit, loci praesertim decliuitate adiutus.

34. Imprimis vero frigore & calore concitatur: calor enim rarefaciens, & colliquefaciens, veluti & omnia illa, quae caloris quandam vim obtinent, ut radij solares, praesertim si in apertum caput incidant, piper, sinapi, raphanus comesta: res odorata, vinum, materiam ad fluxum impellunt.

35. Frigore vero, tanquam manu spongia, cerebrum compressum materiam expellit.: Quare tempore hyberno, constitutione aëris aequilonia, praesertim si eam austrina praecesserit, & quavis subita, & magna aëris mutatione, quales verno & autumnali incidere solent, catarrhi frequentes fiunt.

36. Locum affectum esse cerebrum, nemini dubium esse potest, interim tamen negandum non existimamus, in externis quoque capitis partibus, maximeque sub cute verticis, interdum magnam excrementorum vim colligi, siue enim illa per extrema venarum per faciem & tempora in caput irrepentium, excidat, ut Fernelius voluit, siue ex euaporationibus cerebri ibi retentis, & concretis, quod non minus verisimile videtur, congregetur, illud profecto experientia certum

B

esse



esse constat, multas inde destillationes in oculos, in maxillas, in dentes, in cervicem, in scapulas, in brachia, in latera, in dorsum, & lumbos, in coxendicem, in crura, in omnes deniq; articulos excitari.

37. Differentias catarrhi, quæ à loco, in quem decumbit, sumuntur, veras non esse supra diximus: alia magis propria, à materia conditionibus desumuntur: alius enim tenuis est, alius crassus, alius salsus, alius dulcis, alius acris, alius calidus, alius frigidus, &c. sed cum reliqua differentia, pœnè omnes à calore & frigore proueniant, suffecerit in presenti catarrhum, calidum & frigidum tantum considerare.

38. Signis quibus catarrhus agnoscat, valdè opus non est: plerumq; enim is satis est manifestus, scire verò calidus nè, an frigidus sit, ad curandum plurimum confert, nec cuius in procliu est, primo intuitu intelligere. Quare signis id erit dignoscendum.

39. Catarrhum igitur calidum complexio colerica, & sanguinea arguunt, præsertim si victus quoq; ratio, ætas, anni tempus, regio, & æris constitutio accesserit. Quod defluit calidum, & acre sentitur. Amaritudo sæpè, aut falsedo ore percipitur, nonnunquam etiam leuis fit oris excoriatio. Lingua etiam & oris siccitas adest, & sitis molesta. Quod exspuitur citrini coloris apparet. Febris interdum accedit, à qua tamen malum nihil allevatur.

40. In frigido plerumq; similis est complexio, ætas consentanea, anni tempus, regio & constitutio æris. Situs & febris minus molesta, si tamen febris aliquando superueniat, malum ex ea leuatur. Os is ethmoidis maior quàm in calido obstructio, maius etiam obfactus impedimentum, & vox quoq; obscurior redditur. Quod exspuitur, album est, & plerumq; crassum & viscidum. Oculi tumidi apparent cum pallore faciei. Appetitus sæpè prosternitur, interdum verò etiam in caninum mutatur.

41. Prognostica. Si in nares destillat humor leue est, si in fauces peius, si in pulmones pessimum, præsertim si corpus gracile occupet.

42. Qui sæpius à catarrho affliguntur in magno metu versantur
eorum

eorum malorū, quæ ex catarrho oriri solēt, & naufragio sunt proximi.
43. Branchi & coryca in valde senibus concoctionem non admittunt.

44. Spleneticos catarrho non valde obnoxios esse, statuit Hippoc. lib. 6. Epidemiorum.

45. Cura sex auxiliorum generibus perfici potest. 1. victus ratione. 2. humorum preparatione. 3. eorundem euacuatione. 4. auertentibus fluxionem. 5. sistentibus. 6. corroborantibus.

46. Dieta, quæ & curare catarrhum, & ab eo præseruare potest, in rerum non naturalium recto, & moderato vsu consistit, commendatur autem imprimis abstinencia, cibi & potus parcitas: ita enim fomentum catarrho subtrahitur, & si quid excrementi iam congestum sit, à natura facilius superatur.

47. Ea autem assumenda sunt, quæ concoctu sunt facilia, boni nutrimenti & modici excrementi, qualia sunt panis fermentatus, benè in furno coctus adperso modico fœniculo, & sale. Carnes conueniunt hedina, vitulina, agnina præsertim verò auium montanarum & syluestrium, quæ cum multum moueantur, parum succi excrementicij habent. Caseus, legumina, pisces, & quicquid in aquis degit, non valde probantur.

48. Aromata velati & vinum quia materiam colliquant, in initio non conueniunt, in declinatione verò, euacuata iam materia, ad promouendam concoctionem, præcipuè verò in frigidiori complexionem, nonnihil ex illis concedi potest.

49. Prodest quoque, ut cæna aut nulla, si consuetudo ferat, aut parcior assumatur & vesperi sub finem cænae ea assumantur, quæ orificium ventriculi claudunt, & euaporationem in cerebrum impediunt, manè verò & ante cibum ea quæ aluum emolliunt.

50. Aër eligendus est purus, temperatus, ad caliditatem & siccitatem inclinans, qui si natura talis non sit, arte, & suffimentis alterandus erit. Vitandus verò turbidus, nebulosus, pluuiosus, imprimis verò à ventis vehementioribus perflatus. Vitandus etiam fumus, &



cauendum ne radij solares, aut lunares in caput non cooperitū incidant.

51. In principio quies magis conuenit, quam motus: hic enim materiam ad fluxum commouet: in declinatione uero ad promouendam digestionem motus, moderatus tamen, conuenientior est.

52. Ex animi accidentibus letitia & quae animum exhilarant conueniunt, in reliquis excessus uitandus, & praecipue timor atq; irascitia.

53. Somnus sit solito breuior: calorem enim intro uocando, & cutem condensando, retentionem excrementorum parit, & maiorem vim exhalationum ad cerebrum excitat, unde mirum, quid Cornelio Celso, & qui eum secutus est, Ioanni Cratoni causa esse uisum sit, ut somno indulgendum esse existimarint.

54. Vigiliae magis conueniunt iuxta uersum: Ieiunent, sitiant, uigilent qui rheumata curant; modum tamen excedere non debent, alioquin impedita concoctione, cruditates producunt, quae catarrhum fouent: solito tamen aliquantulo longiores esse debent.

55. Ad curandum cum accedimus, primum materiae preparatione opus est. Ea autem in catarrho calido perficitur, contrarijs frigidis, sumptis, uel admotis, uiolis, nenuphare, papauere, lactuca, santalis, hordeo, glycyrriza, iuiubis, camphora &c.

56. In frigido calida sunt adhibenda, in initio tamen quae ualde attenuant, aut aperiunt, non conueniunt: materiam enim magis ad fluendum irritant. Administranda igitur illa sunt, quae nonnihil adstringunt, & incrassant, quacumq; forma uisum fuerit commodius. Eiusmodi sunt, mastix, thus, nux muscata, cupressi, mel rosatum, syrupus de mentha, de stechade, mel anthosatum, aqua saluiae, betonica, & similia.

57. Materia ita preparata, animum ad euacuationem adijcimus, quae uel uena sectione, uel purgatione perficitur.

58. Vena sectio cum uix quicquam materiae peccantis, quae extra uenas est, uideatur exhaurire posse, in catarrho frigido per raro in usum uenit, nisi forte diuersionis, & causae antecedentis minuenda gratia ad-

tia adhibeatur. In calido verò si plerhora adsit, atate, & viribus consentientibus, præsertim si ad fauces, & pulmones fluat, tuto vel cephalica, vel media incidi potest.

59. Purgatio in materia calida instituitur prunis, tamarindis, manna, rabarbaro: in frigida, agarico, colocynthide, turpeto, hyeris. Imprimis verò pillula cochia commendantur. Arnoldus cassiam fistulam, tempore veris, & autumnii aliquot vicibus ab uncia una, ad duas cum semissi usurpatam, vicem multorum explere, & in omni catarrho convenire tanquam secretum, prodit.

60. Clysteribus etiam utrobique, uti licebit, etiam in initio, sed lenioribus, ne materia irritatione efferata, impetu ad inferiora trahatur.

61. Aversio perficitur cucurbitulis, scapulis & dorso affixis: apoplegmatis, errhinis, sternutatorijs, quæ ex semine staphisagria, nigella, pipere, pyrethro, maiorana, & similibus, conficiuntur. In initio verò ista vitari debent, quia humorum agitationem efficiunt, ad præparationem autem non motu, sed quiete opus est.

62. Ad hanc classem spectant frictiones extremorum, brachiorum, crurum, pedum: & lotiones capitis, quæ fiunt lixiuio parato ex decocto maiorana, camomilla, roris marini, pulegij, folijs & baccis lauri, salvia, asari: & sapone cum agarico, iride, caryophyllis, sandaracha Arabum, & similibus confecto.

63. Lotum caput pannis calidis diligenter exsicceretur, aut sacculis, ex milio, sale, baccis lauri, semine cumini, rore marino, pulegio, & maiorana, detergatur & fricetur. Etiam pectine uti prodest, ut poris rarefactis, & apertis excrementum liberius exhalez.

64. Nonnulli etiam inunctiones capitis, ex oleo mastichino, laurino, sampsuchino, rutaceo, moschellino, liliorum & alijs, commendant in frigido, In calido verò ex oleo rosaceo, nenupharino, violaceo, myrtino & similibus. Avicenna etiam lanam oleo amygdalino calefacto infusam, in aures indi iubet. Pedes quoque oleo aliquo ex dictis inungunt, tum verò etiam frictiones quæ fiunt sale, & allio, non sine utilitate adhibent.

65. Præterea fluxus auertendi causa etiam cantharidibus cum fermento & aceto scyllitico subactis, & ad aurem appositis vtuntur. Quinimò ubi malum inueteratum, ita inualuit vt nullis medicamentis cedat, ad cauteria actualia, & potentialia confugimus, quæ partim in occipitio, ubi caput cum prima cervicis vertebra coniungitur, partim in brachijs, partim in sutura coronali adhibentur. Tutiora tamen in paulo remotioribus partibus, quàm in ipso cerebro videntur, præcipuè in materia calida: in ea enim emplastrum à multis celebratum ex rhapsia, stercore columbino, sinapi, euphorbio preparatum, & capiti adhiberetur plurimum nocet: præterquam enim quod plus resoluat quàm consumit, intemperiem etiam capitis mirifice auget.

66. Consultius igitur ab alijs fieri putamus, qui horum loco cerata ex cortice citri, pulegio, calamintha, aloës succo, ladano, styrace sicca, & liquida, resina, & cera confecta adhibent. Vel quale est illud Montagnanæ, quod recipit, ladani, gummi elemi, vernicis solidæ, thuris, styracis liquidæ, styracis calamitæ, myrrhæ, singulorum partes æquales. Omnia diligenter commixta ad cerati formam redigantur.

67. Sistitur catarrhus multis modis, gargarismatis, sublingualibus, suffumigijs, odoribus, & quæ deglutiuntur aut lambuntur.

68. Lambilia componuntur ex conserua rosarum, coriandro præparato, bolo armeno, speciebus diatragacanthi, diacodio, diapapauere, rob coroneorum, pyrorum &c. additis & subtractis, quæ pro causarum varietate, visa fuerint, magis, minusuè conuenire.

69. Sub introitum lecti si irria grana olibani deglutiantur, mirificam ad sistendum catarrhum vim habere creduntur, eademq; dote pollere dicuntur myrrha, & sandaracha Arabum. Etiam fabarum torrefactarum puluis in ouo sorbili assumptus multum commendatur.

70. Gargarismata astringentia esse debent, veluti illa quæ ex hordei, lentium, coriandri, rosarum, balaustiorum, corticum papaue-
ris decocto, diamoro, syrupo de myrtillis & similibus fieri consue-
runt, facta semper additione vel subtractione pro causarum diuersi-
tate.

71. Sub-

71. Sublingualia ex semine portulacae, papaueris, lactuca, amygdalis, penidijs, thure, mastiche, spica, galanga, addito interdum opio & croco, formari, & ore contineri solent, donec sua sponte collique-
scant.

72. Suffumigia fiunt ex decoctis herbarum appropriatarum, & aqua, capite recto, fumum excipiendo. Valdè etiam commendatur sulphur, si cum aceto coquatur, & fumus, ut dictum est, excipiat: aut etiam si cum aceto in lapidem ignitum profundatur. Addunt etiam maioris refrigerationis gratia camphoram. Eadem facultate perdicum plumas suffitas praeditas esse auctor est Valescus.

73. Pulveres carbonibus inijciendi, fiunt ex castorio, costo, nigella, styrace, mastiche, myrrha, olibano, ladano, sandaracha, xiloaloe, succino, saccaro, tamarisco, rosis, habito tamen, pro causarum diuersitate, delectu.

74. Poma quoque odorata quae manibus versentur, & naribus admoueantur, confici possunt, ex rosis, santalis, floribus nenupharis, violarum, nuce muscata, caryophyllis, spodio, ladano, gummi arabico, camphora & cera confectis.

75. Sistentibus medicamentis qui vtuntur statim in initio, ut Rondelerius & alij, minus rectè facere videntur: materia enim in cerebro cohibita grauiore affectus ut Epilepsiam, apoplexiam, parere solet. Ideò antequam materia preparata & euacuata sit, commodè adhiberi non possunt, nisi tanto impetu materia feratur, ut suffocationis periculum minetur, ut fit in catarrho suffocatiuo: tum enim id quod magis urget, curantis consilium ad se auocat, & methodum nonnihil immutare cogit.

76. Caput corroborant tum quadam ex ijs quae de auertendis, & sistendis fluxionibus dicta sunt, tum etiam pulveres capiti, ubi sutura coronalis est, inspersi, ex castorio, spica, myrrha, caryophyllis, nigella. Item pileoli ex sandaracha Arabum, baccis cupressi, caryophyllis, nuce muscata, thure, mastiche, mace, rosis, melissa, betonica, salvia, maiorana, stechade & alijs confecti: Item quaecumque praeterea, quocun-

quocunq; modo adhibita capitis temperiem conseruare, aut mutatam in naturalem statum reducere apta sunt, quorum cum passim magna copia in promptu sit, ea hic enumerare superse debimus.

Corollarium vnum.

An catarrhus tam à morbo dissimilari quàm similari proueniat.

Parerga.

I. An medicamenta purgantia, eatenus tantum purgent, quatenus naturam irritant, quæ irritata deinde vi sua expultrice id quod noxium est expellat, vt nonnulli voluerunt.

II. An fluxus dysentericus per astringentia sola curari rectè possit: & an omnino etiam astringentia, quatenus astringentia, adhiberi debeant.

III. An ordo cibandi à medicis obseruatus & tantoperè prædicatus, quo liquida durioribus præmittuntur, quicquid aut necessitatis aut vtilitatis habeat.

IV. An curatio per similia an verò per contraria fiat.

V. An concretio pinguedinis in animalibus, à calore, vel frigore fiat.

VI. An reliquis omnibus ignotis, ex sola vrina medicus possit, aut debeat, vaticinari quæ ægro eueniunt, aut euenire possunt: & an hoc polliceri etiam sit ex dignitate artis medicæ.

FINIS.

99 A 6903

(Nr. 24)

nicht

(Nr. ~~ausgegeben~~)

(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle

3

002 636 220



VD17

TA-OL




... in adu. Insuper ...
... factu in huiusmodi ...
... adhibere ad se ...
... obam. Obi noui. fame ...
... pond. mueni. quod ...
... mutauit. causa ...
... publica. Iohannes ...
... pda. et diuulgat ...
... in causa. argum. ...
... cum mactate. Et ...
... inquit. Iohanne. & ...
... dicatur. et uident ...
... in. huiusmodi. et ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...
... ubi. huiusmodi. ...

ert adfiffi. Inuonem
O per. are. terra

quia in huiusmodi. omni. melior
p. in g. d. o. s. e. h. u. r. i. t. i. s. t. u. r. a. t. i. o. n. e.





26.
Disputatio Medica

DE CATARRHO,
IN ACADEMIA IVLIA

ad disputandum pro-
posita,

à

Clarissimo viro,
ADAMO LVCHTENIO MEDI-
CINAE ET PHILOSOPHIAE DO-
ctore & professore,

Ad quam publicè respondebit
CASPARVS CALVIVS HAVEL-
bergensis Marchicus.

Ad diem 16. Aprilis,
In auditorio maiori. h. 6.



HELMÆ STADII,
Excudebat Iacobus Lucius.
Anno MD. CIII.

*Humanissimi viri
viro Dno Amoldo
Cyprianus fecit suo
casium p*

